



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt VII. Complurium Episcoporum querimoniae ob leuia de disciplina  
Decreta. Varias suspensiones ex proximo Gallorum Praesulum aduentu.  
Postulata Galliae Oratorum, Tridenti ac Romae interposita, ad ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

1562. zio, cum animaduersum esset, in nauigationibus, aliisque rerum conditionibus, cum Sacerdotis, vel sacrae suppellectilis defectu sacrificare non licet, eam aspectabilem Sacrificij expressionem plurimum conferre ad excitandam in animis pietatem, qui ut etiam supra sensus euehantur, sensibus indigent.

Adiectum est præter res expositas, Ordinariis facultatem tribui, tamquam à Sede Apostolica delegatis, statuendi quidquid in ea re consentaneum putarent, obstringendi que populos censuris, tamen privilegia & appellationes obstarent.

Quamquam cælum incorruptionis expers sit, nihil est in terris tam pronum ad corruptionem, quam quæ maximè cælestia sunt.

## C A P V T VII.

*Complurium Episcoporum querimonia ob leuia de disciplina Decreta. Variæ suspiciones ex proximo Gallorum Præsulum aduentu. Postulata Gallie Oratorum, Tridenti ac Romæ interposita, ad retardandas sanctiones, illic reiecta, hic Præsulum arbitrio remissa. Pares Casarianorum petitiones. Legatorum consilium. Noua propositionis forma parata de Calicis concessione.*

**Q**Uæ de reformanda disciplina fuerant proposita, per se quidem haud grandia, multò magis decreuerunt eorum oculis qui aut abundantiam voluntatis, aut penuriam experientiae ab amplissimo illo conuentu paucos intra dies aliam hierarchiam, alium rerum ordinem sibi sponponderant, ac tenuiora postmodum euaserunt, recisis tribus præcipuis memoratis capitibus. Neque videbatur, post tot menses, ac tot Sessiones, tandem aliquando à Concilio gressibus quasi pueri debilis timidique esse incedendum. Accidit itaque<sup>a</sup>, ut ea in confesso compluribus irrisionis potius indignationisque, quam examinis argumentum extiterint. Certior ea de re factus est Borromæus per arcanas notas à Vicecomite<sup>b</sup>, ac liberius per communes litteras à Legatis<sup>c</sup>, fortasse quò Pontifex famæ zelotypiâ, quæ affectio plus quam in ceteros dominatur in Principes, imponeret Simonettæ, præcipuo illius ædificij architecto, ut inciperet ipsum supra solum attollere, nec materiam præberet adagio, *Qui serò dat, diu non vult*. Qui liberius acriusque obloquebantur, erant Transmontani cuiusuis regionis, quippe quibus

<sup>a</sup> Præter alias scripturas epistola Adriensis Archiep. 24. Septemb. 1562.  
<sup>b</sup> 16. Sept. 1562.  
<sup>c</sup> 13. Sept. 1562.

quibus cum inesset minor communicatio cum Aula Romana, minor pariter inerat & beneuolentia & notitia. Parisiensis Episcopus exprobrabat, formosiores ponderosioresque morum emendationes anno superiore in Gallia conuentibus fuisse confectas: quin per acerbiorem collationis formam componebat leues disciplinæ leges Tridentinas, cum adeo grauioribus Basileensibus. Aiata dixit, Rem assimilari posse curationi medicorum, qui ægroto præualidis remediis indigenti exteriorem aliquam inunctionem admouent. Ioannes Suarius Augustinianus, Conimbricensis Episcopus, & Parisiensis, quem diximus, significarunt, emendationem in capite atque in membris habendam esse. Ad hanc sententiam adiecit Franciscus Blancus Episcopus Auriensis, Pontificem quoque obstringi legibus Concilij, non quidem secundum vim *coactiuam*, sed secundum vim *directiuam*, prout Canonum Doctores loquuntur, cum Synodus in caput suum potestatem non habeat, sed idem caput naturæ lege teneatur, ut se cum reliquis membris conformet in eo quod ipsum non dedecet ob propriam capitis conditionem. Et quemadmodum fieri solet, ut ex multorum sermonibus in cœtu mirificè crescat audacia in singulorum linguis, eadem libertate utilitatis studia actionesque in suis profanis Principibus perstrinxerunt. Proinde Blancus idem inuectus est in nimia Cruciatæ priuilegia, ad quam moderandam, sicuti vidimus, Pontifex plurimum propendebat, modò cum bona Regis Catholici pace, aut motu proprio Synodi id efficeretur. Et Drascouizius, qui aliàs improbarat electiones Episcoporum, quæ interdum contingebant, & monitus ea de re fuerat à Præsilibus, suam mentem tunc aperuit, se nimirum fuisse locutum de nominationibus ad Ecclesias habitis à profanis Principibus, cum ij nonnumquam proponerent homines nec doctos nec dignos, ut propterea essent à Pontifice reiciendi, quippe quòd melius tiaræ consuluisset, si capiti alicuius è suis famulis illam imposuisset.

2 Hi obloquentium susurri, aliique iam à nobis sparsim expositi effecere, ut Gallorum Ecclesiasticorum aduentus, adeo sollicitatus à Pontifice, à Legatis adeo optatus, tunc ab utrisque formidaretur, verentibus, ne cum Hispanis Transmontanisque coniuncti, ad noua quædam obtinenda, minimè conuenientia, vim impenderent. Et iam ex Gallia & Antuerpiæ litteris rumor<sup>d</sup> manauerat, à Lotharingo Cardinali non modò Calicem postulatam iri, sed sacrarum imaginum amotionem. Nec admodum grata ipsi Pontifici nuntiabantur de iis, quæ animo agitabant illi Præsules, eorumque Dux

Pars III.

T

Lotha-

<sup>d</sup> Ex arcanis  
litteris Vice-  
comitis ad  
Borron cum,  
17. Septemb.  
1562.

1562.  
 & Arcanae lit-  
 teræ Bor-  
 rom. ad Le-  
 gatos,  
 22. Augusti  
 1562.

Lotharingus: magnum numerum Præsulum coire cum quamplurimis Doctoribus, quod cum aliis variarum nationum confociati, possent Italicos Præsules opprimere; quamquam Ferrariensis Cardinalis scriberet ex opposito, eam frequentiam haberi ex æmulatione Hispanorum, de quibus Lemouicensis Antistes, ex Hispanica legatione regressus, narrauerat Parisiis, aliam Præsulum plenam cohortem parari, Tridentum petituram; se tamen credere, eos ipsa non ituros, cum tam multas difficultates in præcedentium missione experti fuissent; unde fieret, ut in Gallia frequentia studium vnà cum æmulatione deferuesceret.

Verum de Lotharingo eiusque consiliis suspicio, umbras altissimas densissimasque diffuderat. Hinc iactabatur, eum nolle prouinciam illam suscipere: hinc ea ipsa dissimulatio indicio erat, sub negotio quod maior dabatur opera ut minus corticis detegeretur, eò amplius profunditatis latere, cum certò sciretur, eum non solum habere in animo Tridentum adire, sed confidere, præter Gallos, Germanorum & Hispanorum etiam se acturum Principem: quæ verisimilius erat illum affecuturum ob adhibita à Lansaco studia, quod Vaticanæ Purpuræ fieret particeps Archiepiscopus Granatenfis, atque is postea simul cum Lotharingo Synodi Legatis adderetur. Verum id quod supra reliqua suspiciones auxerat, fuerat epistola, quæ in manus Pontificis deuenerat, à Lotharingo scripta suo chirographo ad Ducem Wirtembergensem: officij ac submissionis plena ea cernebatur, Ducemque securum reddebat, Regios Consiliarios de Prædicantibus nihil vnquam aliud cogitasse ac voluisse, nisi statum ciuilem componere, & auctoritatem Regiam sustinere. Plurimum ad id posse conducere conuentum idoneum, & fructuosam morum emendationem; ad quod efficiendum præ se ferebat Lotharingus animum cupientissimum conueniendi in aliquem conuentum, quem in Germania Cæsar conuocaret. Affirmabat, in Synodo nihil decretum iri de dogmatum controuersis, nisi ad proximam hiemem: id se pro sua virili parte conaturum, & in idem conuenire mandata Gallicis Oratoribus tradita. Hæc itaque à Lotharingo scripta ex quadam sua gloriæ cupidine, & quod ipse communis tranquillitatis auctor videretur, prout ex iis quæ gessit compertum est, suspensionem rationi maximè consentaneam incutiebat, quod ipse noua foueret molimina, in quæ & sui Regis auctoritas, & aliorum Principum Præsulumque Transalpinorum studia conspirarent; ut proinde non promoturus ille Synodum, sed ipsam oppressurus esset. Idcirco Lotharingi & Gallorum accessus ingentem

tem metum inferebat Pontificiis, eumque vehementiorem Religionis studiosioribus. Quapropter etiam Seripandus, vir alioquin ab humana vtilitate vel maxime alienus, & potius in studio Religionis immoderatus <sup>f</sup>, necessariam putare cepit aut Synodi abolitionem ante illorum aduentum, propositâ Borromæo Cardinali rei conficiendæ ratione, aut certè illius translationem in eiusmodi locum, vbi posset adesse Pontifex, qui per maiestatem in eiusmodi temperatam, sibi Episcoporum animos deuinciret, magis ipsis gratificaturus, etsi parum suâ manu porrigeret, quàm si plurimum per ipsos conficiendum permitteret: vbi verò Synodus protraheretur longius, Seripandus ipse, aut defessus aut pavidus, dimissionem petebat, cum iam prope finem dogmatum deuentum esset, quibus dumtaxat idoneus censeretur poterat.

1562.

*f* Literæ Seripandi ad Borrom. 6. Septembris 1562.

4 Per eam opportunitatem, quâ Romæ considerandos ille proposuit tumultus ab aduentu Gallorum imminentes, summoperè commendauit Borromæo Cardinali Mantuanum, qui Lansaco iterum flagitanti prolationem, eâ libertate, eâ constantiâ, eâ dignitate repulsam dederat, vt scripserit Seripandus, optasse se, illius responsioni vniuersum Collegium præfens adesse. Res ita se habuit.

5 Significauerat Lansacus Præsidibus <sup>g</sup>, certum exploratumque sibi esse, Lotharingum Cardinalem cum comitatu sexaginta circiter Episcoporum, præter aliquot Theologos egregios Sorbonenses, adfuturum Concilio ante Octobris exitum; simulque quàm poterat efficacissimas preces nomine Regis adhibuerat, quò tam breui temporis spatio doctrinæ definitio protraheretur; quod aiebat nulli futurum detrimento celeritati, cum interim possent rerum argumenta digeri, quò maior postea ipsarum numerus decideretur: & quò præcipuum petitioni obstaculum arceret, plurimis rationibus studuerat certos reddere Præsides, Lotharingum ac socioseo animo accedere, vt in vnum cum ipsis coalescerent, iisdemque ac illi animis atque operâ id conficerent, quod in Dei obsequium & Ecclesiæ commodum conduceret. Verum Legati, quemadmodum supra indicatum est, & sua ipsorum sensa, & mandata Pontificis admodum opposita postulatis habebant: quin eo quod pro freno prius adhibebatur, in calcaria conuerso, ab ipso rumore de Gallis aduentantibus impellebantur ad maxime festinandum, quò illos prauertent, ad id quoque stimulati superuacaneis quidem, sed frequentibus adhortationibus Borromæi <sup>h</sup>. Adeo vt Ro-

*g* Extant cuncta in epist. Legatorum ad Borrom. 3. Septembris, & in altera Lansaci ad Insulanum, 7. Septembris 1562.

*h* Apparet ex dictis literis Borrom. ad

T 2

Legatos, 22. Augusti, & aliis antecedentibus & consequentibus, & ex aliis responsionibus Legatorum ad Borrom, 27. & ultimo Augusti, & 3. Septemb, 1562.

1562. mæ displiceret, eos adhæsisse suadentibus, ante Canones esse præmittendam explicationem doctrinæ, quasi sarcinas celerem progressum impediētes. Quamobrem in rebus in posterum faciendis statutum est, tametsi postea non omnino præstitum, explicationem omitti: & iam quò Cæsari celeriter satisfaceret, excerpta fuerant ex volumine, quod ille miserat, varia capita, proponenda in secutura Sessione, in qua erat animus coniungendi duo Sacramenta, Ordinis & Matrimonij, nondum expensa; aut certè in duas Sessiones sibi proximas diuidendi, quò Galli theatrum ingrederentur post finem dramatis, aut ad vltimam scenam.

Itaque ad Lansaci postulatam Legati apud animum suum certi responsionis, consuetum ad eam reddendam spatium petiere, quò illam benè perpensis rationibus instruerent; postea verò per Mantuanum eam reddidere secundum alterius prius datæ sententiam, graui Oratoris molestiâ, qui animaduertens paratarum rerum massam adhuc indigestam, & quæ, prout ipse opinabatur, digeri non posset eo breui tempore quod ante Sessionem præscriptam supererat, adeoque prolationis necessitatem agnoscens, & tamen accuratissima studia, quæ adhibebantur, quò per ipsam operam à breui spatio diurnum æquaretur, in suspensionem incidit haud fallacem, eorum consilium non esse, vt res protraheretur ad expectandos Gallos tamquam optatos adiutores, sed consilium esse, vt festinaretur ad ipsos præuertendos, quasi formidatos aduersarios. Suam hanc opinionem aperuit ipse per litteras Insulano Romæ degenti, conquestus, id consilij nimis aduersari promeritis illorum proborum Præfulum, & illius optimi Cardinalis.

Et quidem Legati satis animaduertenter, Tridenti susceptum ab ipsis consilium acerbius accidere palato, quàm præ se ferebat oris motus, cum per repulsam ac festinationem Rex atque natio ipsorum illis despici viderentur. Quare tametsi Lansacus in postulatis regio nomine exponendis tantumdem modestiæ, quantum efficacie adhibuisset, dubitarunt Legati, ne illa ad hanc augendam fuisset adhibita, quò per accessionem beneuolentiæ facilior impetratio redderetur; & vbi deuentum esset ad opus, & preces animaduertenter inutiles, ad denuntiationes secessionemque fieret transitus, non sine graui perturbatione ac periculo schismatis. Addebatur, indicia conspici à Legatis, Cæsarianos quoque institutos postulato, cum fuisset à Borromæo missum ad Legatos exemplar epistolæ, sicuti dicebatur, à Cæsare ad eos scriptæ, tametsi nondum ad ipsos delatæ, quâ illi vehementer flagitabantur hanc moram de argumento

i In prædicta epistola, 7. Septembris.

k In epistola Legatorum ad Borromæum, 4. Septemb. 1562.

mento Sacrificij, tantisper dum conuentus Francofurti destinatus absolueretur. Idque à Cæsare fieri credebatur, quemadmodum antea indicauimus, quòd vereretur, ne prægressa illorum dogmatum sanctio Septemuirorum Protestantium animos adeò perturbaret, vt obstacula iniiceret electioni, quâ ipsius filius Romanorum Rex renuntiaretur, ad quod in eo conuentu votis omnibus aspirabat. Et sanè maiori adhuc sollicitudine premebantur Præsides, quòd in exemplo epistolæ, quam diximus, affirmabatur, in eadem vota cunctos Principes conuenire: quare videbatur Cæsar concorder cum Gallis, & fortasse cum aliis nondum patefactis se gerere.

8 Eapropter Legati sui esse muneris censuerunt, ea omnia per expeditum tabellarium significare Pontifici: verùm ne quid apud illum gratiæ existimationisq; sibi detraherent quasi trepidi ac titubantes post tot ab eo confirmatas iussiones, in hanc sententiam scripserunt: Cùm ipsi iuberentur à Pontifice, ne quid moræ intericerent cuiusuis efflagitantis causâ, se quidem obtemperaturos fuisse, nisi nouis mandatis aliud sibi præscriberetur. Idcirco de iis quæ interuenerant, ipsum à se maturè moneri, quòd si fortè vellet eiusmodi notitia sua mandata siue absolutè siue sub conditione ante Sessionem mutare, in ipsius esset potestate. Et contigit, vt similem postulationem acceperit Pontifex ab Insulano<sup>1</sup>: sed easdem illi rationes obiecerat, quas Tridenti Lansaco Legati.

1 Acta Paleotti.

9 Per eos planè dies Pontifex præclarâ commendatione in Senatu exornauerat Mantuanum, cuius prudentiæ dicebat à se acceptam referri plurimam concordiam, in quam Patres conuenerant; nec opportunitatem omittebat suæ beneficentiæ ipsis Episcopis exhibendæ, concessâ illis sæpius Sacerdotiorum collatione, quæ mensibus iuri suo addictis vacabant: & quamquam eorum complures id quasi artem interpretarentur quòd illos sopiret, non tamquam beneuolentiam quòd ipsis beneficeret; tamen apud hos etiam conducibile illuderat: etenim semper demum eos diligimus, qui nobis gratificantur, & honorem exhibent.

10 Verùm Pontifex ad aduentum noui Præsidentum tabellarij, graui curâ correptus est, & perpensis vndique incommodis ac periculis confilia moderatiora suscepit, Legatisq; rescribi iussit; Quamuis ipse Gallos minimè aduenturos putaret, tamen considerabat, fatius esse vberiore in eos etiam comitatem præstari, qui perpetuam eadem vtebantur; eoq; magis, vbi agitur de rebus tam ingentis momenti in Diuinum obsequium, ac bonum publicum; præterquam quod cernebantur eò simul ferri vota Cæsaris: nec re ipsa

m Epist. Borrom ad Legatos, 11. Septembris, cuius postea fit mentio in arcana epist. Vicecomitis ad Borrom. & in litteris Legatorum ad eundem, 14. Septemb. 1562.

1562. graue detrimentum agnoscebatur in retardandis Decretis de Sacrificio, quæ ad Sessionem futuram seponerentur, ad quam nec plus minùve parabantur reliqua argumenta; adeoque nihil ea de causa protraheretur Concilium. Idcirco eam moram in Legatorum Patrumque iudicio à se reponi, in quorum arbitrio vt reponeretur, idem Lansacus petierat: quod in se erat, huiusmodi concessionem sibi non improbari.

Tridentum peruenit ea responsio die decimo quarto manè, nimirum tertio ante præfinitum Sessioni diem, eaque confestim à Mantuano ostensa est Vicecomiti, qui cunctis eloquentiæ suæ neruis Legatos ab ea cunctatione dehortatus est. Ipsi verò prolixo habito consilio in eandem sententiam conuenere, Borromæo rescribentes, se post collatum illius epistolæ tenorem cum superioribus mandatis, existimasse, mentem esse Pontificis, promulgationem Decreti de Sacrificio retardandam non esse absque obstaculo præualido atque cogente: vbi verò huiusmodi necessitas vrgeret, dilationem à Pontifice neuiquam damnatum iri: se igitur ad eam normam operaturos. Sperare quidem, tam durâ necessitate minimè præpediendos, mandatum verò arcanissimè occultaturos. Quod arcanum à Legatis custoditum, indicat errorem Suauis, scribentis, non solùm id ipsis commissum Lansaco Romæ illud postulante, sed eidem à Pontifice responsum fuisse, illud ipsum Patrum suffragio permitti. Quin in Acta Paleotti, vt adnotauimus, relatam est, datam fuisse Oratori repulsam à Pontifice. Sed Suauis ignorantia tum de his Actis, tum de voluminibus litterarum, quæ vtrò citroque inter Legatos & Borromæum scribebantur, effecit, vt absque magnetica pyxide nauigaret, & sæpè vnâ pro altera regionem signaret. Memoratam spem Præsides fecere Pontifici, ipsos minimè præpeditum iri, propterea quòd cum Pontificium responsum rediit, diminutus in ipsis fuerat metus futurarum in Sessione turbarum. Ex Gallorum parte minæ haud exaudiebantur: epistola Cesaris, de qua dictum est, numquam ad ipsos deuenerat; & Episcopus Quinque Ecclesiarum magnâ modestiâ utebatur, pro eo quod vsuuenit ne vociferetur, cui rogare necesse sit. Tunc ille, vt cum maximè & desiderio & studio impetrandi Calicis feruescebat, omni que fiduciâ in Præsidium fauore collocatâ, postquam Episcoporum duritiam expertus fuerat, nolebat illos in altera causa tamquam oppugnator irritare, dum oportebat eosdem in altera tamquam patronos suos inuocare. Præterquam quòd cunctationis impatiens, cuius causa paulò pòst innotescet, ipsos ad aggressionem  
exti-



extimulauit, integro exercitu non expectato. Etenim si rei propositio vsque ad Gallorum aduentum fuisset prolata, fautorum frequentia & auctoritas procliuiorem concessioni viam strauisset. Omnes igitur conatus ad celerem consequendam victoriam ille conuerterat<sup>a</sup>, cupidus saltem, vt Synodus per seipsam Bohemiæ Calicem indulgeret: quod consilium aliàs propositum à Pontifice, Præsides tunc amplexati non fuerant, quippe quod nimis infra petitionem ac spem Cæsarianorum videbatur. Atque idcirco non nemo<sup>o</sup> in Drafcouizio, qui alioqui partes omnes solertiæ ad rem perficiendam expleuit, maiorem in temperando postulato prudentiam desiderauit.

12 Etenim si principio illud ad Bohemiam coarctasset, cum ad id etiam accessissent tum ij omnes Patres, qui absolute illi suffragati sunt, tum ij, qui cum huiusmodi limitatione consensere, tam plenum agmen vnà conflasset, vt multos ex titubantibus, & sub conditione fauentibus, ad se pertrahere potuissent; præsertim quia erga solos Bohemos suam vim efficacissimam obtinebat exemplum Synodi Basileensis: & se inclinante Pontifice ad id consilij indicandum, Legati liberiùs studuissent illud suâ operâ promouere, lucraturi ea de causa complurium suffragia, qui rem in Pontifice reponebant, & qui proinde illius consilio acquieuisent. Et ceteroquin id satis esse Cæsari videbatur, vt qui acerrima omnium postulata à Bohemis accipiebat; præterquam quòd habetur in narratione Musotti, datum sibi fuisse negotium à Lotharingo (cum ipse in familiam ab eo adscriptus post mortem Seripandi, ab eodem Romam missus est, sicut indicabitur) vt Pontifici significaret causam potissimam, cur adeò Ferdinandus exarserat in eo petendo, fuisse spem trahendi hoc pacto Maximiliani, sui primigenæ, ad Eucharistiæ sumptionem, à qua duos iam annos abstinuerat. Quare id si verum fuit, quod equidem affirmare non ausim, etiam concessio ad solam Bohemiam restricta Cæsarem sui præcipui voti compotem fecisset. Aliorum opinio fuit, à Drafcouizio ex arte dilatatas fuisse petitiones, rato, in hisce negotiis transigendis parem esse rationem ac in contractibus agitandis, in quibus ad iustum obtinendum, immoderatum petendum est: atqui subtiliori quadam ratiocinatione vtiebantur. Obseruabant ex opposito, rem bene procedere in iis quæ alter postulat ab altero Principe, utpote qui postquam plurimum negauit, ad emolliendam acerbiteratam repulsæ, minùs se difficilem ad parum concedendum se præbet: sed non ita, vbi res est cum hominum cœtu, qui si semel in alterum extremorum

1562.

Ex litteris  
arcanis Vice-  
comitis ad  
Borromæum,  
14. 16. &  
17. Septem-  
bris 1562.  
o AGa Pa-  
leotti.

1562. rum cucurrit per argumenta à se producta atque audita, illi parti fauentia, tam firmiter in eo pedem figit, vt ad omne medium pene inflexibilis euadat.

Atque huiusmodi tunc esse statum Concilij Præsides intelligebant. Quamobrem Drascouizium, tametsi per summum laborem, ab eo consilio retraxerunt; non tamen ipsius postulatam adeò moderari poterant, vt illud probabilis impetrationis spem faceret. Ipsum cohortati sunt, vt expeditiorem agendi rationem iniret, in quam maior pars animi propensionem indicarat, nimirum, vt rei deliberatio committeretur Pontifici, cui liberius licuisset petitioni indulgere, postquam Synodus, quamuis illam minimè comprobasset, non tamen pariter eam improbat, sed in ipsius arbitrio reposita; quàm licuisset antea, cum se reprehensionibus obiectasset ob derogationem legis ab vno Concilio constitutæ, non audita alterius denuò coacti sententiâ. Sed auditas ultra modum appetentior plurimi, nonnumquam sibi fit obex ad consequendum quod sufficit. Drascouizius post multam suspensionem petiit, saltem vt postulata proponenda à Paleotto, iam iterum ex Præsidorum monitis digesta, ita reformarentur, vt Synodus dum concessionem Pontifici remitteret, sui etiam pondus consilij superadderet. Legati verò tametsi & intelligentiæ suæ lumine, & aliorum admonitu repulsam prælagirent, nihilominus vt Oratori morem gererent, postulati mutationi consenserunt<sup>p</sup>, conspicati, numquam illi tamquam idoneum consilium probatum iri id quod ipse repudiabat, nisi vbi experiretur ineptum id quod amplectebatur. Ad hanc itaque sententiam redacta est rei proponendæ formula: *Cùm animaduerneret Synodus, se non posse per seipsam quod postulabatur decernere, illud in summi Pontificis arbitrio reponere; qui præmissis diligentis, quas opportunas censuisset siue cum conditionibus iam recitatis, siue cum aliis, pro sua prudentia rem concederet, rationi consentaneam ratus etiam secundum sententiam, consilium & comprobationem Synodi.* Sæpè magis necessarium est bono publico, vt nos quispiam diligit, quàm vt idem bonum obtineat, adeoque honestum est in eo etiam amico morem geri, quod ipsius obstiturum bono prænoscutur.

<sup>p</sup> Litteræ ar-  
canæ Vice-  
comitis ad  
Becromæum,  
17. Septemb.  
1562.